

Ecclesiam. Audio autem Augustæ de eo oppido crudeliter expugnato, mendacem narrationem Jesuiticam prodiisse. (b) Nostri, ut arbitror, non ut nebulonibus respondeant, sed ut piis magistratibus demonstrent, se sociis succurisse, historiam edituri sunt. Fattendum est, quum forti dextra, oppidum, ut novisti populosum & munitū esset occupandum & seditiose comprimendi, a mercenariis seditionis orum civibus Mülhusenis (horum fuerunt non plures 25.) & nostris Basil. Tigurinis, Bernensibus, Schafusianis, occupuisse circiter 430. non in ipso tantum confictu sed & post confictum: Saucii enim plurimi fuerunt. Nostri Basileenses bene de ipsis mereri student. Vive & Vale in Christo: & saluta communes amicos. Basileæ d. 6. Augusti 1587.

## EPISTOLA L.

S. Quum sciam, Vir Clar. piis omnia, etiam S. adversa, adjumento esse ad bonum: nec dubitem patriam tuam hospitium esse Ecclesiæ Dei, Reipubl. studiorum honestissi-

I 5 morum,

(b) confer hac de re Abr. Sculteti Annales Evangel. & Münsterum in nova editione, & quæ infra de recrudescente hac seditione dicentur.